

Nische an Dionys-Michael eingelassen waren. War doch Norbert der Entdecker der sog. ossa Gereonis in Köln. Und wie steht es ferner mit dem Bau von St. Michael, wenn wir an die engen, sehr engen Beziehungen Norberts zu Siegburg denken?

Je mehr man sich in des grossen Heiligen verzehrenden Eifer um die Sache Gottes und der Kirche vertieft, um so mehr wird man gedrängt, die starken Impulse seines Wirkens zu sehn. Auf dieser Linie liegen auch die interessante Xantener alte Gereonskapelle unweit von Norberts Geburtshaus (ad quod oratorium per gradus ascendebatur; vgl. auch die Kamper Chronik u. Ann., 86, 123); die Entstehung der «Viktortracht» und ihre enge Beziehung zu Norberts Gründung auf dem Fürstenberg mit der betonten eucharistischen Verehrung; der «Viktorschrein» vom J. 1129 nachdem Norbert jahrszuvor die Dom- und Altarweihe in Xanten vorgenommen hatte (nach F. Witte ist Eilbertus Coloniensis Verfertiger sowohl des Xanti. Viktorschreins wie des Siegburger Mauritiusstragaltars); dahin gehört endlich noch das siegburger Emailliereliquiar im Xantener Domschatz; das derselben Zeit entstammt und die Bildnisse von St. Viktor und St. Gereon trägt.

Xanten a. Rh. im Juni 1946

Dr. Heinr. Engelskirchen.

* * *

RELIGIOSAE MONASTERII VULGO « LE MESNIL SAINT-DENIS » SINTNE MONIALES ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS ?

Vi canonis 488, 7^o Codicis Iuris canonici Moniales tantum illae sunt religiosae, quae vota sollemnia emittunt, aut quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praecepto sunt simplicia. Historia luculente comprobatur religiosae Monasterii « Le Mesnil St. Denis » in dioecesi Versalliensis Galliae siti, de facto numquam emisisse, nec ex instituto habuisse vota religiosa sollemnia, ac proinde sensu canonico non esse Moniales Ordinis Praemonstratensis.

Nam prima Superiorissa, fundatrix huius domus religiosae ¹⁾, postquam vitam contemplativam monialium Ordinis Praemonstra-

1) Cuius nomen Maria Husson, in religione Maria a Nativitate. Cf. Claire Faine-Leroy, *Une âme ardente*, Librairie nouvelle, Rambouillet, 1940.

tensis asceterii Boniloci reliquit, novum prorsus Institutum religiosum fundare intendit, cui praeter vitam claustralem, etiam curam orphanarum iniunxit, sub tutela tamen et secundum spiritum Ordinis Praemonstratensis ²⁾). Ad mentem ipsius fundatricis haec congregatio nomine « Tertiariarum religiosarum Norbertinarum » nuncupata fuit. Insuper religiosae Constitutiones ipsis proprias condiderunt sub approbatione auctoritatis dioecesanae tantum, in quibus nec officium chorale, nec abstinencia Ordinis peculiaris, nec clausura papalis occurrunt. Denique in Protocollo Capituli Generalis Ordinis Praemonstratensis anno 1896 celebrati in canonia Plagensi legitur : « Sorores, sub nomine Norbertinarum Terti Ordinis », quo implicite comprobatur religiosas de « Mesnil St. Denis » usque hoc temporis momentum non fuisse Moniales Ordinis ³⁾).

Enucleanda tamen videtur quaestio : utrum saltem inde a Capitulo Generali anni 1896 religiosae laudatae sint Moniales Ordinis, necne ? Nam in Sessione V huius Capituli Generalis legitur : « Attenta humili postulatione ipsarum Sororum et commendatione Illmi Episcopi Versalliensis, Capitulum Gen. ad secundum Ordinem Praemonstratensem admittit Sorores, quae sub nomine Norbertinarum Terti Ordinis in praedicta dioecesi commorantur, dummodo Statuta Ordinis secundum morem Circariae Gallicae observent atque liturgiam Ordinis sequantur, servatis servandis quoad Novitiatum et Professionem ». Non est dubium Religiosae de « Mesnil St. Denis » inde ab hoc Capitulo Generali recognitas fuisse ut Moniales Praemonstratenses saltem de facto, immo ex parte ipsarum Religiosarum tale propositum adfuisse, eo ipso quo assumpserunt obligationem officii choralis et nonnullarum dierum abstinentiae Ordinis.

Iuridice tamen probanda manet prima quaestio : utrum clausula a Capitulo Generali apposita et tamquam « conditio sine qua non » sub particulo « dummodo » introducta, de facto servata fuerit necne ? Nempe, an Statuta Ordinis Praemonstratensis secundum morem Circariae Gallicae atque Liturgiam Ordinis secutae sint ? Quoad liturgiam non est dubium religiosae introduxisse officium canonicum et kalendarium Ordinis ; sed ad Statuta quod attinet, vix, ne vix quidem, clausura papalis de facto servata videtur, praesertim quia tum ex intentione ipsius fundatricis monasterii, tum ex constanti praxi extraneae personae intra fines clausurae permanserunt, nempe orphanae instruendae ac educandae. Insuper ipsae religiosae sat libere

2) *ibid.*, pp. 88, 89.

3) *Protocollum Cap. Generalis anni 1896, Sessio V, ad IX.*

clausuram egressae sunt, opere caritativo compellenti, praesertim in servitium puellarum orphanotrophii.

Altera autem quaestio non minoris momenti adest circa competentiam Capituli Generalis Ordinis aggregandi monasteria Monialium sine interventu S. Sedis ? Nam, ut notum sit, iure antiquo disputata fuit quaestio, utrum beneplacitum apostolicum requiratur pro erectione vel mutatione domus monialium ? Et quamvis videtur sufficere licentia Ordinarii loci pro erectione domus etiam monialium, tamen in erectione domus semper nonnulla adiuncta fuerunt, pro quibus licentia S. Sedis impetranda fuit ⁴⁾, et iure merito dubitari potest de modo agendi Capituli Generalis.

Si ergo de facto Religiosae de « Mesnil St. Denis » ut Moniales Ordinis Praemonstratensis agnitae fuerunt, de iure tamen dantur rationes non spernendae, ad dubium positivum struendum, utrum religiosae laudatae ex adoptione Capituli Generalis Ordinis factae sint sensu canonico « Moniales Ordinis Praemonstratensis ».

Anno 1946, publicatis iam Statutis Monialium Ordinis Praemonstratensis, Illustrissimus Dominus Dr. H. Noots, Abbas Generalis Ordinis, visitationem instituit apud religiosas de « Mesnil St. Denis », approbante Ordinario loci Versallensi, eo in fine ut religiosis communicaret nova Statuta Monialium Ordinis. Instructae de obligatione clausurae papalis et de fine unico contemplativo Monialium, Superiorissae et religiosae omnes unanimiter declaraverunt se voluntate Fundatricis manere adstrictas ac se velle conservare educationem orphanarum. Proinde impossibile evasit religiosis de « Mesnil » assumere normas a Statutis Monialium Ordinis Praemonstratensis praescriptas, praesertim quoad officium chorale nocturnum et permultas alias ordinationes vitae religiosae mere contemplativae.

Obtemperans desiderio religiosarum, idem Abbas Generalis totum negotium comittit Excellentissimo Episcopo Versallensi, declarans religiosas monasterii de « Mesnil St. Denis » non posse servare clausulam a Capitulo Generali Ordinis anni 1896 appositam, nempe obligationem servandi Ordinationes pro Monialibus Ordinis praescriptas, ac proinde religiosas qua Tertiarias Ordinis Praemonstratensis unice ab auctoritate dioecesana dependere. Ut tamen spiritus norbertinus servaretur, ipse Episcopus Versalliensis adiutorium imploravit religiosi Ordinis, ad conficiendas Constitutiones

4) A. Vermeersch, *De Religiosis*, Brugis, 1907, t. 1, n. 116.

sub titulo « Constitutions des Religieuses Norbertines du Mesnil St. Denis ».

Die 2 Octobris anni 1946 laudatae Constitutiones ab Ordinario Versallienti Benjamine Octavo Roland Gosselin approbatae sunt, Hae normae tribus in partibus dividuntur, cuius prima pars tractat de Observantiis regularibus, nempe, praeter alias ordinationes communes agitur de officio choralis canonici et mariani, de usu ritus et kalendarii Ordinis Praemonstratensis, de ieiunio in omni feria VI per annum ac de abstinentia in feriis IV et sabbatis tempore Adventus et Quadragesimae necnon de clausura religiosa communi. Pars II agit de personis, aliis verbis de admissione religiosarum, de novitiis et professis ac de conversis, de egredientibus et de dimissis. Demum in parte III tractatur de regimine Congregationis, seu de relatione ad Ordinarium loci et de visitatione canonica, de Priorissa ad triennium electa et de aliis officialibus finemque imponit caput de administratione bonorum temporalium et de obligatione Constitutionum.

Tongerloae, 24 Maii 1947,

G. Van den Broeck. O. Praem.